



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Reginonis Abbatis Prumiensis Libri Duo De Ecclesiasticis Disciplinis & religione Christiana

Regino <Prumiensis>

Parisiis, 1671

443. Qualiter Episcopus ordinandus examinetur.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14622

Ex Concilio Meldensi.

Concil. Meld.
c. 52.
Burchard. lib.
2. c. 4.

CCCCXLII. Hi qui ordinari petuntur nullatenus ordinentur nisi in loco certo & religioso, vel etiam in civitate, saltim uno anno immorentur, ut de vita & conversatione atque doctrina illorum certitudo possit agnosci. [*Vide supra cap. 389.*]

Qualiter Episcopus ordinandus examinabitur. *Ex Concilio Carthaginensi.*

Concil. Carthag. 4. c. 1.
Burchard. lib.
1. c. 8.
Ivo par. 5.
c. 62.
Gratian. dist.
23. c. 2.

CCCCXLIII. Qui Episcopus ordinandus est, antea examinetur, si natura prudens est, si docibilis, si moribus temperatus, si vitæ castus, si sobrius, si semper sui negotij cavens, si humilis, si affabilis, si misericors, si literatus, si in lege Domini instructus, si in scripturarum sensibus cautus, si in dogmatibus ecclesiasticis exercitatus, & ante omnia, si fidei documenta verbis simplicibus adserat, id est, Patrem & Filium & Spiritum sanctum unum Deum esse confirmans, totamque Trinitatem deitatem coessentialem & consubstantiallem & coeternalem & coomnipotentem prædicans, singulam quamque in Trinitate personam plenum Deum & totas tres personas unum Deum, si incarnationem divinam non in Patre neque in Spiritu sancto factam, sed in Filio tantum credat; ut qui erat in divinitate Dei Patris Filius, ipse fieret in homine hominis matris filius, Deus verus ex Patre, homo verus ex matre, carnem ex matris visceribus habens & animam humanam rationalem, simul in eo utriusque naturæ, id est, homo &

Deus, una persona, unus Filius, unus Christus, unus Dominus, * creaturarum omnium * creator quæ sunt & auctor & dominus & rector cum Patre & Spiritu sancto omnium creaturarum, qui passus est vera carnis passione, mortuus vera corporis sui morte, resurrexit vera carnis suæ resurrectione * vel resumptione, in qua veniet iudicare vivos & mortuos. Quærendum etiam ab eo si novi & veteris testamenti, id est, Legis & Prophetarum & Apostolorum, unum eundemque credat auctorem Deum, si diabolus non per conditionem sed per arbitrium factus sit malus. Quærendum etiam ab eo si credat hujus quam gestamus & non alterius carnis resurrectionem, si credat iudicium futurum, & recepturos singulos pro his quæ in hac carne gesserunt vel pœnas vel præmia, si nuptias non improbet, si secunda matrimonia non condemnet, si carniæ perceptionem non culpet, si pœnitentibus reconciliatis communice, si in baptismo omnia peccata, id est, tam illud originale contractum, quam illa quæ voluntariè admissa sunt, dimittantur, si extra Ecclesiam catholicam nullus salvetur. Cùm in his omnibus examinatus, pleniter instructus repertus fuerit, tunc ordinetur.

* Alibi legitur: & vera animæ resumpt.

Postremam istius capituli partem decurtavit Regino. Et tamen illa magni momenti est. Itaque nos heic eam censuimus esse reponendam in gratiam lectorum. Sic ergo habet in capite primo Concilij Carthaginensis quarti: Cùm in his omnibus examinatus, inventus fuerit plenè instructus, tunc consensu Clericorum & laicorum & conventu totius

provinciae Episcoporum, maximèque Metropolitanani vel auctoritate vel praesentia, ordinetur Episcopus. *Burchardus & Ivo, quia ex Reginone acceperunt, finem hanc istius capituli exhibent decurtatam. Gratianus aliunde accepisse videtur quàm ex istorum collectionibus, cum integrum locum referat.*

Qualiter Presbyteri vel Diaconi ante ordinationem vel post ordinationem examinentur, vel qualiter de suo ministerio discutiantur, in principio istius libelli satis expressum est, ubi scriptum est quid sit à Presbytero requirendum. Et ideo superfluum videtur repeti & iterari quod jam constat esse notatum.

EXPLICIT LIBELLUS PRIMUS.

